





## FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

**E**GO infrà scriptus Provincialis Provinciæ Franciæ, Societatis **JESU**, potestate ad id mihi factâ à Reverendo admodum Patre nostro *Francisco Retz* Societatis nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut Patris *Caroli Porté* **ORATIONES**, Eruditorum ex eâdem Societate nostrâ judicio probatæ, typis excudantur. In cujus rei fidem has literas manu meâ subscriptas & sigillo officii mei munitas dedi Parisiis die 14 mensis Martii anno 1746.

**PETRUS CLAUD. FREY, S. J.**



# SYLLABUS

## ORATIONUM DIDASCALICARUM.



ORATIO I. *De Eloquentia.* Quare varia sit apud varias gentes, mutabilis apud eandem gentem Eloquentiæ forma?

ORATIO II. *De Satyra.* Utrum Satyra in civitate bene morata, & quatenus admittenda sit?

ORATIO III. *De Panegyricis Orationibus.*

ORATIO IV. *De Criticis.*

ORATIO V. *De Theatro.* Theatrum sit ne, vel esse possit Scholæ informandis moribus idonea.

ORATIO VI. *De Libris, qui vulgo dicuntur Romanes.*



omnibus viris Gallicè scribentibus non lingua solùm, sed & eloquentia omnis Gallica plurimùm debere se profiteretur.) Vestrùm est, inquam, pro vestrà, pro imperii, pro ipsius Religionis glorià, vincere dicendo vel scribendo fastidium delicatioris ævi, & Eloquentiam istam sanam & gravem quam vobis tradiderunt patres vestri, quam vos fovistis diu, quam etiamnum obtinetis, nunquam dimittere, sed vindicare potius ab omni mutatione, quantum fieri potest, & qualem laudatis in aliis, qualem admiramur in vobis, talem aut certè quàm minimè sibi dissimilem nepotibus vestris tradere.



## ORATIO II. DE SATYRA.

*Utrum Satyra in Civitate bene mirata, & quatenus admittenda sit?*

Habita anno Domini 1710.

**U**TRUM iniquitate hominum, an Satyræ vitio fieri dicam, ILLUSTRISSIMI ECCLESIE PRINCIPES, PRÆSIDES ILLUSTRISSIMI, AMPLISSIMI SENATORES, CÆTERIQUE OMNIUM ORDINUM AUDITORES ORNATISSIMI, ut illam, cùm plerique hodie in omni scribendi genere vel dicendi adhibeant, plerique tamen excludere, vix aliqui

qui admittere se velle profiteantur? Quis enim aut Poëtarum, qui ejus stimulis acuit epigramma, aut Oratorum, qui ejus salibus condit orationem, aut Scriptorum, qui ejus jocis aspergit disputationem, satyricus dici velit? Quid ego verear ipse magis, quam ne, de Satyrâ differendo, Satyrâ vobis offerre videar?

QUONAM igitur ex fonte tantum in illam invidiæ derivari putem? an ex ipso nomine, quod à Satyris illis procacibus & semiferis deduxisse multis credita est? At neque ipsa de nominis sui auctoribus confitetur, neque si confitetur de Satyris, hoc tamen nomine concedat ipsi Tragediæ, quam ex ignobiliori appellatione nuncupatam esse constat. An ex generis humilitate ac propè infamiâ, quippe quæ ruri ipsa inter pocula ex foedis maledicentiæ sordibus procreata dicitur? At ego illam festiva inter politiorum hominum colloquia lucem primum aspexisse verius dixirim. Hinc certè rusticitatem objecerit nemo, ex quo tempore in urbem à Lucilio, ab Horatio in Aulam traducta est.

SUPEREST itaque ut in ipsâ ejus naturâ vel arte labæret aliqua vitii habes. At quid illa profiteatur aliud, nisi se insectandis acrius hominum vitiis natam esse, & in jocosis morum reprehensionibus exercitam? Inde tamen in illam odii tantum profuxisse suspicent, & sentio. Hinc est quod illam ipsius adversarii calumniæ adjutricem, alienæ famæ per-



picem, civilis otii lucem, ac pestem nefariam, & ab omnibus qui tranquillitati publicæ consultum velint, validissimè opprimendam esse pronuntiant.

NULLORNE defensores habet ac patronos? Habet pauciores illos quidem, sed acerrimos, qui è contrario illam veritatis satellitem, virtutum propugnatricem, emendatricem vitiorum, magistram morum optimam, & ab omnibus qui civili disciplinæ provisum cupiant, diligentissimè retinendam esse contendunt.

ILLAM itaque alii è civitate prorsus exterminari volunt, alii volunt in civitate omnino retineri. Peccant utrique meâ quidem sententiâ, illi odio Satyræ nimio, hi nimio amore. Sic enim mihi persuasum est, & verò persuasum esse vobis, sur facile persuaderi posse confido, Satyram ex illarum esse rerum genere, vel numero, quæ cum naturâ suâ possint prodesse plurimam, tum alienâ culpâ plurimum obesse possunt. Quemadmodum igitur gladios, aliâque id genus tela nemo dixerit aut planè interdicenda, quòd illa possint ad injustam causam converti, aut omnino ac sine cautione concedenda, quòd ad justam defensionem possint adhiberi: Ita Satyram nemo prudens asseveret, aut esse prorsus rejiciendam, quòd illâ quis ad contumeliam abuti possit; aut contra, quòd illâ quis ad morum emendationem uti queat, esse omnino, & sine ullâ circumscriptione recipiendam.

*Propositio.* Quo circa positam hanc à me, neque, ut opinor, indignam vobis iudicibus quæstionem, utrum Satyra in civitate bene moratâ, & quatenus admittenda sit, ita definiiri posse orbitor, ut statuamus, *neque illam è civitate bene constitutâ excludendum esse, neque sine multâ cautione admittendam.* Quæ duo in duplici orationis parte, sic disputabo, ut quantum in me est, nemini detur criminandi locus, aut nimio plura Satyræ concessa, dum illi faveo; aut dum illam castigo, nimio plura fuisse detracta. Adeste quæso animis, AUDITORES, & Oratorem qui de Satyra dicendo à Satyra multum sibi timere debeat, humanitate & benevolentia vestra confirmate.

## PRIMA PARS.

**C**IVITATEM bene moratam rectèque institutam cum apello, eam nolite intelligere, AUDITORES, quæ veluti commentitia illa Platonis Respublica integerrima sit moribus; qualem neque antea extitisse, neque ullam, postea ( tanta humanæ naturæ pravitas est) extitutam arbitror. Illam dico quæ optimis temperata sit legibus, à quâ vitiorum irritamenta, quantum fieri potest, excludantur omnia, in quam adjumenta virtutum quàm admitti possunt plurima, inducantur. Atqui Satyram in ejusmodi civitate adhiberi volo. Quid ita? quòd & multa ibi vitia oriri neces-

se sit, quæ non possunt cohiberi legibus, possint coerceri Satyrâ; & ea ipsa quæ cohibentur legibus, Satyrâ plerumque melius coercantur.

QUAMLIBET in præcavendis hominum culpis diligentes extiterint qui prima civitatibus jura descriperunt, mirum tamen quam multa, quam varia vitiorum genera legibus intacta reliquerint. Animadvertenter graviter in eos qui aliorum fortunas rapacitate, dignitatem contumeliis, corpus ferro invadebant; si qui magistratibus reverentiam, dominis obsequium, parentibus pietatem, patriæ amorem, Superis Religionem denegarent, his multam, carcerem, exilium aliæque pro immanitate scelerum supplicia interminati sunt. Qui peccarent cæteris in rebus, hos ut plurimum inultos omiserunt.

NULLANE igitur præterea sunt vitia, quibus inquinentur hominum mores? Nullane quibus tollatur communis vitæ suavitas? Nulla quibus civitatum dignitas obscuretur? Existunt profectò multitudine innumerabilia, insulitate ridicula, pravitate intolerabilia, neque illa non prospexerunt animo conditores legum prudentissimi, sed & haud posse legibus cohiberi sapientissimè judicaverunt. Fingamus enim Lycurgum al quem, aut alterum quemlibet cujusvis Reipublicæ moderatorem has leges ære incisas palam proponere.

*NEMO domi avarus esto: nemo adulationibus rem alterius captato: nemo improbitati lar-*

vam prohibitis obdedito: nemo se & sua ha-  
 stantiis praedictis: Nemo in gestu ingreſſis, in  
 cultu incompoſitus, in veste inelegans, in con-  
 greſſu inſanis: esto: nemo denique ulli in re,  
 ullo tempore vel loco moleſtum ſe vel ridiculum  
 exhibeo: Qui facit, huic poenam pro gravitate  
 & culpa, iudices obrogant.

IN VESTRAM FIDEM, AUDITORES, HAS LE-  
 GES QUI VIDET, AN VISUM TENEAT? AN CREDET  
 PLUS HABITURUS PONDERIS, QUAM LOGEM ILLAM  
 AB ATHENIENSIBUS ADVERSUS INGRATOS ALIQUAN-  
 DO PROMULGARAM? EQUIS ENIM REPERIETUR  
 CENSOR TAM ACER & DILIGENS, QUI HORUM VI-  
 OLATORES EDICTORUM POSSIT DEPREHENDERE, SET  
 DEPREHENSOS JUSTIS ANIMADVERſIONIBUS EMEN-  
 DARE. Cogitate, merum aliquem ſtragistrum  
 (a.) quem poterit mens vestra commenten-  
 do offingere perfectissimum: Visum ea ce-  
 leritate intelligendi, quae longissima disjunctio  
 continuo peringat, ea memoria, ut quae in-  
 mero infinita comprehendat, ea iudicii aequi-  
 tate, quae nullo inclinata pondere fatiscat, ea  
 mentis vigilantia, quae nunquam sopita con-  
 niveat; ea laboris patientia, quem nulla ne-  
 gotiorum multitudo obruat; ea fortitudine  
 animi, quam imago periculorum nulla deter-  
 reat; virum ad summa quaeque natum, in  
 minimis maximum, Reip. semper memorem,

C 3

(a) DD. Marc. Renas. d' Argensſon: qui sunt temporis  
 Interdum A. Abbatem gerbat & qui postea Vicecancellarius  
 fuit ac regiorum sigillorum Custos.

sui penè oblitum, pro patria & cupidum vivere, & mori non timidum; virum denique qualem ad hujus splendorem Urbis & dignitatem singulari Dei beneficio his temporibus concessum esse gratulamur. At ego contendo neque illum, neque alios, si qui reperientur, huic similes viros, suam legibus quales antea descripsimus vim & auctoritatem asseruros. Quorsum ita? Quia, nullis legibus coerceri possunt ea vicia, quæ minus in temeritate & audaciâ, quàm in turpitudine quâdam & insulsiitate sunt posita.

ILLA, illa scilicet aculeos Satyræ postulant, non justitiæ gladios. Joci castigari debent, non supplicis.

Satyræ est inque stylum exerceere in duros illos & sordidos patres familias, qui avidiores in colligendo, parciores in tribuendo, mercædem servis, sumptum liberis, victum sibi invident, itaque vivunt omnibus infesti, ut nomini faciant bene, nisi mortui.

Satyræ est confodere illos emptores nobilitatis pretiosos, qui quoddam venalia habuerint & habeant omnia, genus ipsum pecuniâ credunt emi, qui se novitatem putant exuere, titulos grandiores induant, atque in veterum dominorum possessionibus novi Domini superbissimè insideant.

Satyræ est nigro perfricare sale illos homines insulsos, simplicitatis, uti prædicant, studiosos, & antiqui moris retinentes, reversi



corrigerè. Sic nulla erunt vitia ab omni reprehensione secura. Sic dum justitia liberabit urbem latrocinis, Satyra purgabit ab ineptiis. Dum illa sceleratos configet edictis, hæc inficeros dictis laceffet.

NIHILNE præterea petetur ab hac præfidi? Ipsi etiam justitiæ ad præcavenda aut punienda scelera suppetias feret. Neque verò illud ego affirmavi temerè, vitia ipsa quæ cohibentur legibus, melius sæpe coerceri Satyrâ, aut acerbius castigari. Silent enim, silent aliquando leges, Satyra nunquam obmutascit. Themidis sæpe velantur oculi, neque velo simplici; Satyra oculis semper intentis semper acutum videt. Judiciorum laqueos sæpe fraus eludit, gratia expedit, aurum redimit, potentia abrumpit. Satyræ aculeos non declinant doli, non molliunt preces, honores & divitiæ non retundunt.

ILLA parcere nescia scelus armatum adoritur in castris, ignaviam in tentoriis, impietatem in templis, iniquitatem in Judicum sellis, rapacitatem in Quæstorum mensis, molliem in divitum spondis, ignobilitatem in Rhedis, ignorantiam in Cathedris, vitium denique ubicumque est, ibi detegit, ibi impugnat, ibi confodit. Non eo quidem gladio quem adhibet ultrix justitia; ac certè non imbelli telo. Cujus acies quàm metuenda sit dicant Romani illi veteres, qui, quoties Lucilius stylo ardens infremeret, toties diffuebant sudore frigido; & qui modò severitatem

legum spreverant impavidi, jam Satyræ dicitatem, exanimati metu, horrescebant.

DICAT & Condæus ille magnus, tam formidatus olim Galliæ nostræ hostibus imperator, ut illos solo nomine terreret, propè dixi, vinceret, tam interritus mortis contemptor, ut illam media inter prælia nudo capite lacefferet, idémque Satyræ iam æquus affirmator, ut illius metu, metum quemvis alium superandum esse crederet; Qui congressurus cum hoste, unum hoc admonebat suos, ut sibi à brevioribus illis Setysis in triviorcantari solitis fortissimè caverent; ratus videlicet minus hostilis gladii mucronem, quam mordacis carminis acumen, formidandum esse, caputque morti potius, quam Satyræ nomen objiciendum. Cum igitur tantum in eâ momenti sit ad incutiendum animis timorem ignominia acerrimum, quis illam in civitate bene constitutâ dubitet, vocandam esse in societatem Justitiæ, tanquam adjutricem Legum ac vindicem?

SED hic reclamant osiores Satyræ & indignantur illam adjungi Legibus, quæ Legibus exterminanda sit, comitem illam stare cum justitiâ, quæ pro jure non possit certare quin pugnet contra societatis jura, atque humanitatis.

NAM cur, inquirunt, homini privato liceat, in privatorum vitas, & vitia inquirere? Cur civi liceat in cives quietos & inermes stylium minacem intendere? Flagitiosi sunt?



illos conscientiae angoribus permittite. Perfidioli? illis ne crede. Molesti? hos fuge. Stolidi & inficere? ab illorum congressu abstine. Egregia sane, ut videtur adversariis, & æquitatis plena oratio, sed iniqua, meo quidem iudicio, & ab humanitate alienissima.

QUÆRUNT quo jure in vitia & vitiis contaminatos homines animadvertam. (a) Quod ille Terentianus Chremes, hoc ego respondeo: *Homo sum: humani nihil à me alienum puto.* *Homo sum:* ideòque hominum quidquid interest, hoc & meâ propter naturæ communitatem interesse arbitror. *Homo sum:* ideòque hominibus non modò inopiâ, sed vitio laborantibus multò magis opitulari meum est. *Homo sum:* hoc addo, *Civis sum:* hoc nomine civitati expurgandæ & ornandæ, quantum in me est, allaborare & licet & debet.

*Civis sum.* Si procul ab omni contubernio & convictu in loca sola me recepissem, ibi forsitan liceret uni mihi vivere, ibi hominum inèptias ridere tacitè, vel miserari. Sed quia *civis sum*, quia sic ferunt vitæ meæ rationes, ut cum aliis hominibus consuetudinis vinculo sim conjunctus, hoc mihi commune munus cum cæteris, communi lege impostum reor, ut quidquid boni in cives conferre possim, hoc conferam; ut quidquid mali à civitate arcere possim, illum arceam: ut cui-

(a) Terent. in *Heautonimorchi*. act. 1. Scenâ 1.

cunq̄ue vitio medelam quamcunq̄ue adhibero  
possim, illam adhibeam. Hoc postulat hu-  
manitas, hoc flagitat societas, huic voluntati  
jura suffragantur plurima; nulla refragantur.

AN verò, si recta quæpiam igne corripis,  
aut etiam vapore efflari videro, non possim  
sistere sine crimine? Et mihi urbem undequa-  
que ardentibus libidinum facibus deflagran-  
tem conspicienti clamare non liceat? An si  
veneficos cibaria veneno clam aspergere des-  
prehendero, siam in societatem reus, si non  
accusavero? Et idem judicabor nocens, si  
consecratos homines impiis impurisq̄ue fer-  
monibus omnia polluentes objurgavero? Scelus est barbaros in monia irruentes non  
cohibere; & barbariam in literas, in mores,  
ab indoctis, à rusticis inductam abigera fue-  
rit scelus?

QUÆRUNT scilicet quo jure homines quie-  
tos & incennes liceat carpere? At ego illud  
vicissim quæro, quo jure liceat civitatem fla-  
gitiis inquinare, & urbanitatem ex urbe tol-  
lere? Ergo licebit impunè perfidis fallere,  
voluptuariis otio marcescere, stultis desipere.  
Mihî veraci vera loqui, nequitiam infestati,  
stultitiam increpare non licebit?

AT enim sunt in civitate (si non humanis  
modò, sed divinis etiam Legibus instituta est)  
sunt Oratores sacri, qui pro suscepto manere  
arguant vitia, & à vitiis homines, adhor-  
tando, minandoque, deterrent.

NON IS ego sum, AUDITORES, qui ne-

geni in verbi divini præconibus ad emendanda flagitia virtutis inesse plurimum atque auctoritatis. Verùm illud quoque quis negaverit, non omne delictorum genus ad emendationem illis esse propositum? & quemadmodum Scriptoribus Satyricis nefas est ea tractare, quæ ad Religionis dogmata pertinent, non modò propter periculum erroris, sed etiam propter argumenti dignitatem; ita Oratoribus sacris licitum non esse pravitates quasdam & ineptias dicendo persequi, non modò propter illarum ignorationem, in quâ ipsos versari licet & decet, sed etiam propter ipsam loci reverentiam. Illud deinde quis nescit homines plurimos non moveri, nisi objurcationibus, & ita viriatos esse, ut nisi sententur Satyræ sibi, omni profectus medicinâ videantur insanabiles.

Quod ut perinde intelligatis, atque ego sentios, advertite, quæso, **AUSTRORUS**, triplicis omnino generis esse censores, qui possint corrigendis moribus adhiberi, Oratores sacros, Philosophos, & Scriptores satyricos; qui omnes vitia impugnant, sed suâ singuli viâ planèque diversâ.

ORATOR sacer quid in uno quoque vitio divinæ Legi contrarium, Philosophus, quid rationi dissentaneum, Satyræ Scriptor quid indecorum sit, explorat. Ille Dei mandata, alter rationis præscripta, hic honesti leges proponit ac protegit. Agite nunc & huius triplicis censorum generi tradamus unum ali-

quem ex illis foeneratoris Alphii aut mollis Epicuri discipulis; & cujus censurâ moveatur porissimum, observemus.

SEDEAT ille primùm in Oratoris sacri conspectu, non dico lenis cujuspiam Oratoris & languidi; sed acris ac vehementis, qui de Religione cum dignitate differat, quem nunc aulæ urbs, nunc urbi aulæ invidet, quem utraque dicentem unanimi plausu excipiat. Hic divina è sacris codicibus in rapaces aut voluptuosos exprimat oracula, & intentam utrisque supplicia proponat. Quid novus interea auditor? Annuet capite; clamabit *belle*; tum aliò convertet oculos, aut declinabit molliter, & inter crepitantia ultricis justitiæ fulmina placidè dormitabit.

EXCITEMUS hominem, & coram gravissimo aliquo Philosopho sistamus. Conscendat hic pulpitum, & vel Aristotelicâ methodo subtilia de moribus præcepta arctis adstringat conclusionibus; aut Platonis in morem de temperantia aliisque virtutibus, sese laxèque disputet. Quid ad hæc quaestuosioris disciplinæ aut sapientiæ pinguioris affecta? Ridebit magnum Aristotelem, divinum Platonem exhibebit.

PROBAT igitur tandem Satyricus aliquis mordax ex Horatii aut Juvenalis scholâ recens, & cum ætiore stylo, chartæque dentate homini sese offerat. Exerat aculeos in fraudulentas ejus artes, aut in voluptates ejus sordidas jocos emittat. Cernitis ut: *vix pan-*

Etus exsiluit! ut indoluit! ut palluit! ut semina-  
nimis aufugit? Quod non itaque contorta  
Eloquentiæ sacræ fulmina, quod non vibrata  
Dialecticæ argumenta, hoc Satyræ mucro  
exertus præstitit.

Hic veram hominis naturam & indolem  
agnoscite, AUDITORES. Religionis terro-  
rem comprimere potest: rationis frangos ex-  
cutere potest: ignominie sensum nunquam  
aut vix unquam potest amittere. Dic illum  
flagitiis suis Deo exosum, placidè feret; dic  
à ratione aversum, ridebit, dic inficetum &  
ridiculum, fremet & frendebit. Usque adeo  
homines etiam ad cætera obdurgatos torquet &  
cruciat irrisionis metus!

ADESTÉ nunc edeste, viri male misericor-  
des: & quod unum sanandis superest animis  
quibusdam & ingenjis, remedium, statuite  
utrum ab illorum curatione removendum pu-  
teatis? videte utrum humanitatis sit, an non  
magis crudelitatis, succos ægrosis propè de-  
positis abnegare; amaros illos quidem, sed  
quò amariore, hoc salubriore? Quod ta-  
men ita nolim intelligi ut nulla medicamenti  
sit temperatio, nullumque in eo miscendo  
Satyricus teneat modum. Quam enim Saty-  
ram ad corrigenda plurima vitia, quæ sunt  
inemendabilia legibus, aut legibus minùs  
emendata, utilem ac propè necessariam esse  
arbitror; tam existimo eandem, nisi certè  
intra fines coërceatur, posse civitatibus fieri  
exitabilem.

NON satis est itaque illud quæfivisse primum & definivisse, liceretne uti Satyrâ in bene moratâ civitate; nisi & quæretur, illud alterum, atque definiatur quatenus uti liceat. Quod in alterâ orationis parte ita conabimur exequi, ut nos cum osoribus Satyræ, si quos fortè offendimus, in gratiam redituros esse confidamus.

## SECUNDA PARS.

QUOD de telis ad feriendum idoneis præcipi solet Legibus, ut videatur diligenter quinam illis utantur in civitate; ad quid utantur; quâ utantur ratione; in quos denique utantur: hoc de Satyrâ fermè præcipiendum esse censeo, AUDITORES, ut caveatur sollicitè quinam illam adhibeant, in quæ adhibeant vitia, quânam adhibeant ratione, in quos demum adhibeant. Atque hinc judicium esse volo, quatenus Satyrâ in bene moratâ civitate licitam existimari oporteat, aut illicitam.

Ac primò quidem ut Magistratus tela extorquent ex improborum manibus, ita Satyrâ nullis tradi velim, nisi probis civibus, Probos intelligo, non qui careant omnino vitiis; quod quidem maximè deceat: ridendus siquidem ille est qui, ut ait poëta, *castigat turpia turpis*. Sed tamen quia potest etiam is docere meliora quâ deteriora sequitur, probi sanè dicantur, quicumque sint

amantes Reipublicæ, & ad scribendum solo civitatis emendandæ studio accesserint. Habeantur contra improbi, privatis quicunque utilitatibus, vel odiis ad notanda aliorum vitia proruperint. Atque hi ab isto scribendi genere omnino prohibeantur.

ET ENIM Satyra, si se his addixerit, dubitatis qualis deinde futura sit, virtutum satelles, an administra vitiorum. Intelligitis profecto nullam fore cupiditatem tam nefariam cujus in societatem non veniat; cujus patrocinium non suscipiat. Illam avaritia producet in forum, ut innocentiam solis eloquentiæ sinceræ armis malè defensam obruat. Illam malevolentia in Aulam immittet, ut virtuti aditum ad honores præcludat aut jam delatos auferat. Illam in castra sua trahet Novitas, ut veritatem explodat, & à veritate propugnandâ bonarum partium homines omni contumeliarum genere deterreat.

NIHIL denique tam sincerum erit, nihil tam integrum, quod non objiciatur venenatis Satyræ telis, & gravissimè violerur. Cujus rei (ut longissimè à nostris temporibus disjuncta meminimus) tu mihi exemplo sis, Philosophorum, quos tulit profana antiquitas, sapientissimè Socrates. Quis te æquales inter tuos ab omni flagitio remotior? Quis recti amantior? Quis insipientis Sophistarum sapientiæ hostis acrior? Quis crederet tuam disciplinam, ut in istis ignorantiae tenebris excellentissimam, ira potuisse infamari; ut ab ejus odio, ad odium tuum-

namque perniciam tota repente Athenien-  
sium multitudo converteretur?

SED quid non aggreditur tradita in male-  
vorum manus Satyra? quò non progreditur?  
Virtute tuâ sæpe viceras inimicos, sed furen-  
tes viceras, non jocantes? Victus es tandem  
posteaquam repertus est falsissimus Poëta Ari-  
stophanes qui vel privatis adductus inimici-  
tiis, vel pretio conductus amarissimos in te  
aculeos defigeret, tuamque scholam velut exi-  
tialis & delirantis doctrinæ magistram palam  
& aperte ridendam proponeret. Tanta est  
Satyræ audacia in imponendis criminibus,  
cùm aliquâ cupiditate inflammatur! Tanta il-  
lius efficacia ad conflandam viris etiam opti-  
mis invidiam, cùm mentitur lepidè, & sale  
Attico audientium vel legentium palato blan-  
ditur! Tanta demum adhibenda cautio est,  
ut quemadmodum Cretenses armorum tra-  
ctationem solis ingenuis permittebant, quòd  
à servis & servilibus ingeniis semper metuen-  
dum esse crederent, ita Satyræ scriptio solis  
concedatur probis civibus, quòd à malevolis  
& malâ cupiditate incensis hominibus semper  
timor impendat, vixque possit fieri, ut Saty-  
râ qui malo utuntur animo, bene utantur.

EN adeò stylum satyricum improbis jam  
eripuimus, AUDITORES, probis tradidimus;  
nunc videndum est in quæ sit vitia exerendus.  
Etsi enim genera vitiorum ferè omnia infecta-  
ri Satyra potest pro jure suo, ea tamen sola  
exprobrari volumus, quibus aliqua insit, cul-



pa; quæque ut nascantur, ab humanâ voluntate pendeant, vel certè ut eradicentur.

LAUDENTUR enimverò forma, ingenium, opes, cæteraque naturæ vel fortunæ munera; quoniam ita obtinuit adulandi usus, quò pauciora insunt in homine veræ laudis argumenta, hoc plura ex alienis quasi fontibus hauriantur. At fileantur illa vitia, quæ in nobis ita sunt, ut non sint ex nobis. In iis siquidem rebus unis argumentum reprehensionis est, ubi est delicti vestigium. Etenim quæ rusticitas atque inhumanitas est hominem irridere; quòd deformi sit vultu, aut pravo corpore; quòd tardiore sit præditus ingenio, aut humiliore loco procreatus. Ista qui exprobrat, annon ipsi naturæ videtur convicium facere, quæ in homine malè nato erravit potius, quàm in illam homo peccaverit. Quæ verò stultitia est ea reprehendere, quæ non possis objurgando corrigere! Therfiten cavillaris quòd sit pravâ & foedâ facie; an refingendo fiet Euryalus? Quintilium notas, quòd pumilo sit corpore, an grallis insistet, ut repente fiat de Pygmæo Gigas?

NUNQUAMNE igitur pravitates id genus licebit jocando perstringere? Licebit aliquando. Si quis nempe vitia, quæ accepit ab aliis, aliquo suo vitio faciat sua. Si facie qui turpis est, Narcissum se credat; & veluti Polyphemus ille de formâ sibi placeat, & à formâ placere ambiat. Si Therfite patre qui genitus est, Cecropiâ de gente ortum se prædicet.



stomacho indicentem creberrima (a); sed ne novas Ephemeridas novis jejuniorum diebus dispungentem exhibeat. Hominem irrideat cogitatione adeo suspensum atque ita abstractum à sensibus, ut (b) alia plane à gerendis faciat: sed non ut crepidam pro libro in peram immittat. Vellicet hominem à rationis semitâ deflectentem; sed ne illum veluti bipedum (c) quadrupedumque animal stolidissimum exagitet. Arguat virorum mulierumque mores perditos; sed (d) ne viros mulierisque omnes perditis esse moribus clamat. Quis enim in tabellis à verò ita aberrantibus vitia videat sua! aut quem adeò pudeat in eâ civitate agnosci vitiosum, in quâ vix quidquam agnoscat integrum; nisi forte Æthiopus inter Æthiopem videri pudor est? Vividis sanè depingat omnia coloribus Satyra, sed veris.

NEQUE tamen ita sit verax, ut non sit veracunda. Apage scœdissimas quorundam vitiorum imagines quas offerre oculis, aut oblatas ferre impudentis est. Illam in reprehensione liberam esse fas est, nefas esse petulantem. Illam imitari decet ingenuas & liberales puellas, quas lædit ipsa impuditiæ appellatio. Illam pudeat Flacci, Juvenalisque nimium obsecutam esse ingenio, qui dum

(a) Jean. Baps. Molère, in Comœdiâ qua Avarus inscribitur.

(b) Joan. de la Bruyere. (c) Nicol. Boileau Despreaux. (d) Idem.

ævi libidines tenebricosas describunt nimis graphicè, arguunt impudicos sine pudore, & turpia turpissimè reprehendunt. Quod quidem minùs fortasse mirum videatur in iis scriptoribus, quos etsi verecundos natura genuit, Religio tamen sua fecit inverecundos; quos etiam mirum sit flagitiosis hominibus aded fuisse infensos, cùm Deos colerent flagitiis aded infames.

AT quis hoc admiretur satis (finite me quæso, AUDITORES, justissimo dolori meo paulò liberius indulgere) quis satis hoc admiretur in hâc nostrâ Religione quæ (a) *omnem immunditiam ne nominari* quidem patitur *in nobis, sicut decet sanctos*, in hac, inquam, Religione castissimâ inventos fuisse Satyricorum interpretes, qui satyras illas spurcitie execrandas Gallico, hoc est, maximè verecundo idiomate redderent; & notis illustrarent eruditis ad majorem, si Superis placet, adolescentium mulierumque utilitatem?

QUIS satis hoc stupeat virum (b) docendi facultate & diurnitate celebrem, quem toties ex hoc loco dicentem laudastis, ut ipsum laudare mihi quoque liceat, quem assequi non licet, cujus hodiè que desiderium in vestris omnium animis excitat orationis meæ tenuitas & infantia, hunc virum apud multos laborasse invidiâ, quòd Satyricos scripto-

D 3

(a) Ep. ad Ephes. c. 5. v. 3.

(b) P. Joseph. Juventium è Soc. Jesu.

res dum expurgavit omni obscœnitate, aliquã sui parte mutilaverit ?

QUIS satis hoc indignetur interpretatiõnem Horatii, quam nobis tersam, elegantem, festivam & ad ingenium auctoris elaboratam tradidit felix animi vir (a) ingenique, visam esse aliquibus mancã, quòd illam dum accuraret interpres, loca quædam obscœna resecurit; & veluti apis mundissima, quæ (b) *puris gaudet insistere*, omnes venenatos flores, si flores dicendi sunt, illibatos prætervolaverit? Quasi verò aut magna fieret scriptori injuria, dum prodit apud nos castior, quàm apud suos visus est; aut ingens fieret jactura in versibus impurissimis quos nemo pudens legerit, quin legisse continuò nolit; aut grande litteris objiceretur periculum, ne deficiant aliquando verba & sententiæ quibus nefanda libidinum disciplina commodè tradatur. O viros in retinenda latinitate religiosos! utinam & in custodiendâ morum integritate perinde severos!

TENE verò superiore, sæculo Gallicæ Satyræ Princeps, (c) Reneri, aded Christiani pudoris oblitum, ut scripta tua pinguisissimis nequitiae sordibus inquinares? Non legeras, vel audieras, quæ de Juvenali scripserat mag-

(a) P. Tarteron è Soc. Jesu.

(b) P. Tarteron Lemma suis libris præfixit, in quo apes adumbrantur, cum hac Epigrapho, Puris insistere gaudent.

(c) Regnier Poëta satyric.

nus ille Reipublicæ litterariæ censor Julius Scaliger: *propter insolentiam quorundam Juvenalis versuum jubere se, vel optare toto opere abstinere virum probum.* Non intelligebas idem de Satyris tuis quàmlibet venustè scriptis fore proborum aliquando iudicium?

VENIAM tamen demus aliquam, si qua dari potest, scriptoribus iis, qui aliena vitia ita olim reprehenderunt, ut reprehensionem ipsi mereantur. Peccaverunt errore magis, quàm voluntate. Arbitrati sunt Satyræ, dum nihil falsi diceret, licere omnia dicere; & se, si magis prudentes forent, minùs Satyricos fore. Nondum extiterat scribendi magister eximius & artifex, (a) qui errorem istum exemplis & præceptionibus dedoceret. Nondum Gallia ad commendationem Satyricæ Poëseos felici partu extulerat acerrimum illum ingenio poëtam, iudiciòque prudentissimum, qui, veterum sectando vestigia, de palmâ cum veteribus certavit; qui sic eos imitatus est, ut reliquis imitandi sui spem ademerit. In quo cum admirabilis est naturæ artisque amica consensio; tum styli morumque severitas singularis. Quis illum in ea re imitari abnuat in quâ unâ non sit inimitabilis. Quod si reperietur adeò perfriktâ fronte aliquis, ut Renerium aut Marotum (quos infamiæ causâ nomeno) æmulari malit, coërcendus erit profectò ab ipsis civitatum moderatoribus, neque

D 4

(a) D. Boileau Despreaux.



nunc ab Horatio sales, nunc à Juvenale aculeos accipere; neque risum ciere modò, sed lacrymas etiam & sanguinem, si opus est, mordendo exprimere; nulli demum flagitio, neque ullo modo parcere, dum ipsis parcat nominibus quæ nusquam appellari volo vel designari.

SCIO, AUDITORES, non deesse, qui huic legi intercedant apertissimè, sèque veterum exemplis, & rationibus (ut putant) gravissimis defendant. Laudant Lucilium scilicet, qui Metellos, Horatium, qui Nomentanos, Persium qui Vettidios, Juvenalem qui Crispinos famosis versibus nominatim cooperuerunt. Egregios sanè & luculentos testes! si non adhiberentur propriâ, ut aiunt, in causâ iudices. Quòd si foret hîc auctoritate pugnandum, quàm multis paucorum exempla possim testimoniis refellere? Vos appellarem, sapientissimi duodecim Tabularum Scriptores Decemviri, qui ex urbe liberrimâ libertatem cujuspiam malo, id est, maledico carmine notandi sublatam lege voluistis. Vos testarer, ætatis nostræ censores æquissimi, téque (a) imprimis Theophrasti interpretes & æmule, cujus oculis natura se humana penitùs inspiciendam videretur obtulisse, quique de illâ meritis es optimè, vel dum ejus virtutibus ad describenda ejus vitia usus es. Ex te sciscitarer, cur, cùm malos plurimorum mores

D 5

(a) D. Joan. de la Bruyere.



argueris , nulla male moratorum nomina ,  
quamvis sæpe , quamvis enixè rogatus , non  
dico vulgare , sed ne secretò quidem indicare  
volueris.

NEQUE te silentio prætermitterem , (a) vir  
morum scientissime , qui aliena vitia voce scri-  
ptòque diu insectatus es cum summâ ingenii  
laude , sine cujusquam offensione ; qui cum  
de amicitia verissimè scriberes , quòd de illâ  
sentires verè , & veri amici exemplum præ  
oculis absolutissimum haberes , hanc secutus  
es legem , quam deinde de Satyrâ pulchrè  
differendo aliis posuisti , ut ex tantâ multitu-  
dine hominum contra amicitiaë jura peccan-  
tium nominatim reprehenderes neminem.

SED quoniam certamus hîc maximè ratio-  
nibus , expendamus quare tandem vitiosos  
homines proprio nomine adversarii designa-  
tos velint. Si secus fiat , inquiunt , metuen-  
dum erit ne se scripto Satyrico corripì nemo  
sentiat , sicque opera scriptoris tota pereat ,  
atque industria. Honestus sanè metus. Sed  
quærere hoc liceat , dum timent viri optimi ,  
ne se nemo agnoscat in tabellis Satyricis , an-  
non hoc verentur quoque ne agnoscant ipsi  
neminem ? Sed parcant illi metuere : etiam ,  
si à scriptore appellabitur nemo , qui tamen à  
legentibus appellentur , occurrent plurimi.  
De uno , quem novit , silet poëta ; de sexcen-  
tis quos ignorat , fiet mentio.

(a) D. de Villiers , *Auteur Poëme de Amicitiaë*.

AUDITE enimverò quid conqueratur ille Theophrasti discipulus (a), in designandis iis, quos laudat apertissimus, in tacendis iis, quos viruperat, tectissimus. Queritur repletos esse homines in suspicando tam malignos, quàm audaces, qui nomina personarum, ab eo uti conjiciebant descriptarum singula nuncuparent, & relata in indicem spargerent. Ubi autem repletos? In urbe fortasse vel in aulâ in quâ frequens erat. Et in aulâ, & in urbe, & Mortaniæ & Belesmæ, & in aliis regni oppidis ignobilioribus, quæ nunquam adiverat. Quorum autem nuncupata nomina? Illorum, credo, quos noverat. Et virorum & mulierum quos nunquam viderat, de quibus nihil inaudierat. Et dubitamus eò plures corripî Satyrâ, quò notaverit pauciores; & contra hòc emendari pauciores, quò plures fuerint appellati. Quanquam quid emendari dico? Erravi, AUDITORES, quos appellat Satyra, hos plerumque provocat ad furorem & insaniam, a vitio non revocat.

AT enim (videte, quæso, AUDITORES, quàm nihil dissimulem) at enim graviore unius ignominia sanabuntur multi, quos simili tentato morbo, continuò sollicitabit metus, ne simili vulnere configantur. Quemadmodum prædonis unius supplicio terrentur quotquot ejusdem societate latrocinii vel affinitate implicantur. Bene est & ad rem appositè. Verùm quantò pluribus & quantò certior ingruet

(a) D. Joan. de la Bruyere.

timor , cùm propositâ in publicum vitiosi hominis imagine , dissimulatôque vero nomine periculum impendebit omnibus eâdem vitii labe contactis hominibus , ne oculis figmentur singuli , & de singulis digito monstrante dicatur , *Hic est.* Quemadmodum fœneratores , quorum tanta hodie copia est , quanta nummorum penuria , multò terreantur magis , si latâ à iudicibus Sententiâ liceat in singulos inquirere , quàm si unus aliquis iudicio damnatus candente laminâ inuratur. Quoties enim exit Satyra in aliquod vitium , nullius vitiosi nomine proprio insignita , annon toties videtur institui quæstio in omnes quotquot illo vitio se implicuerint ? Cujus quæstionis tot fiunt cognitores , non quot Satyrici qui pauciores sunt , sed quot lectores , qui erunt numero propè infiniti. Aded ut ignominiaæ metus non jam à scriptoribus aliquot , sed à totâ multitudine imminet , & ad illos omnes longè latèque pertineat , ad quos ipsa pertinet vitii communitas.

QUI quidem metus ignominiaæ à Satyrâ sine illâ designatione nominis incussus , quàm sit ad mutationem morum efficax , meministis quicumque ingeniosissimo illi Comœdiæ Gallicæ (a) principi emendatas gratulamini mulierculas quasdam putidâ elegantiarum confectatione ridiculas.

(a) D. *Molière Auteur Comœdia* , sui titulus Gallicus : *les Précieuses Ridicules.*

MEMINISTIS multò magis quotquot eidem obicitis concessam mulieribus, indulgentiâ viroꝝ, nimiam vivendi licentiam. Quâ enim arte perfecit ille ut severa illa fœminarum disciplina non sensim, sed præcipiti ruinâ, collapsa sit? An ex rigidioribus illis nuptarum satellitibus aliquem vero nomine appellavit? Hoc si fecisset, plagam imposuisset ille quidem uni viro insanabilem: sed non tam exitiale pudori & modestiæ vulnus inflixisset. Personas in scenam induxit bene moratas, sed decipi timidas, & decipi faciles & ridiculè deceptas. Riserunt omnes stolidorum hominum cautionem incautam; & dum in fictis nominibus rident, ne vero & suo nomine riderentur, malè metuerunt. Inde quid accidit? ut qui Arnolphi & Sganarelli metuerent videre, in Aristos evaserint, viros, faciles ac benignos, sponsisque amplissimam arbitrato suo vivendi potestatem fecerint. Quod delectandi studio profecutus & affecutus est ille morum, non dicam, magister optimus, sed pictor admirabilis, cur non sequantur Satyrici Poëtæ cum saniore consilio & fructu salubriore?

AN verò quod de hominibus aliquo inquinatis vitio, idem de scriptoribus constitui oporteat, ut illorum parcatur nomini, quod humanitatis est, dum eorundem scriptis, quod est utilitatis publicæ, nequaquam parcitur, haud ita facilè, neque tam audacter definiero. Movet enim me Satyrici supra

laudati auctoritas, qui dum è Poëtarum vel Oratorum ordine multos scriptores infictos censoriâ virgulâ dimoveret, paucorum pepercit nominibus, parsurus haud dubiè, si parcendum crederet. Mover me præterea scribentium indoles, qui cùm plerique ament se & sua plurimum, rarò se confiteantur errasse, aut errata corrigant, nisi disertè admonentur. Mover me demum communis omnium auctorum conditio, quorum nomina pèrinde atque scripta sic fiunt juris publici, ut publicandi operis facultatem dum impetrant, animadversionis potestatem omnibus impertiant. Quia tamen scriptis inhærent vitia, non adhærescant scribentium nominibus, nisi fortè aliquâ labe ac potissimum hæreticâ respersa sint, nomina multò rariùs, quàm scripta nominari velim. Id certè non concesserim ita scriptores passim intrudi Satyris nullo indicato ipsorum opere; ut solò videantur ridendi nomine, neque appellandi, nisi appellatione suâ versum aut impleverint commodè, aut aptè concluderent. (a) In quo & gravis auctorum est infamia, & legentium de aliquâ Satyrici malevolentia suspicio non levis. Age enimverò quisquis auctoris cujuspian nomen opportunè, importunè versibus inseris; nihilne scriptum ab eo est vendibile; si ita est, norasse semel sit satis. Quid illum carminibus tuis malè

(a) D. Despreaux.

nobilitas ? Permitte hominem cum infelici partu in tenebris delitescere. Si quid verò scripsit non ineptè ? Quid illum ex toto reprehendis ? Argue quod malum est ; quod bonum est, lauda, vel omitte. Quòd si qui modò radit humiles terras debiliore pennâ, ad altiora, poterit aliquando felici volatu consurgere, quid nomen ejus infamare properas ? Cùm scripserit aliquid dignum meliore notâ, an recantabis opprobria ? Non is certè mos Satyricorum est ; rarè dicta revocant, exaggerant sæpius, & Horatianam illam de (a) Canidiâ palinodiam imitari, dum vulneribus mederi se fingunt, unguem defigunt in ulcere, & illud retractando exasperant. In tuis itaque Satyris semper legetur Poëta vel Orator nobilis infami notatus litterâ, ex quâ tamen apud æquos operum æstimatores ignominia trahet minùs, quàm tu colliges invidia. Quid nos autem ex istâ de appellatione nominum, prolixâ & forsitan molestâ disputatione conficiemus ? illud opinor, AUDITORES, & rarè scriptorum, nisi appellatis eorum operibus, & nunquam cæterorum hominum, nisi fortè jam famosorum flagitiis, nomina esse Satyricis versibus oblinenda.

RESTAT ut illud postremo loco inquiremus, liceatne dissimulatis nominibus in quovis homines, nullâ generis dignitatisve habi-

(a) Horat. *Epid. Lib. edit. expurgate Ods 12.*

rã ratione, mucronem Satyricum diftringere. Et sanè cùm Satyræ tanta fit ad emendationem morum vis & efficacia, & quoniam nulla conditio non iis abundat moribus, quorum necessaria fit emendatio, tantum tamque præfens remedium videtur esse nemini denegandum. Sed tamen, quia publica privatis longè anteponenda sunt commoda, unius omnino sunt & alterius ordinis h. mines, quos ut reprehensione minimè omnium indigere oporteat, ita per Satyram reprehendi nunquam liceat. Principes Imperiorum intelligo & Moderatores civitatum. Ad illorum fores possit accedere severa illa morum castigatrix, & in atriis consistere, ut palpatores, invidos, obrectatores, sexcentasque omnis generis pestes arceat longiùs à limine, & quovis satellite potentiùs submoveat: At ne sedentes in solio Reges, aut in tribunali magistratus audeat impetere.

Hoc in Neronem scenicum imperatorem, & ludos de se in theatris dare amantem sibi licitum esse crediderit Persius, qui tamen liberiùs dictum emendari à magistro passus est. Hoc in Domitianum adhibuerit Juvenalis, postquàm formidatus immanitate suâ tyrannus, formidari morte suâ desit? Hoc in viros Principes & quidem optimos impune audeant perditissimâ illi transfugæ qui, deserti patriâ, coaxant vicinis in paludibus, ubi quæstum faciunt conviciis, & exterorum amorem

popu-





ad odium, ab utroque ad contumeliam, & ad extrema illa deinceps progredi, quorum meminisse horret animus; quorum exempla ab iisdem initiis, hoc est à libellis Satyricis profecta, & ad omnium sæculorum memoriam execranda non semel tu, infida Anglia, rúque infelix Gallia, suppeditastis. Optandum illud quidem maximè, ut ipsi Regnorum præsidēs non careant reprehensionis beneficio, si quando illo indigeant; sed quoniam opes Satyræ curari nequeunt, nisi cum magno Reipublicæ periculo, præstat illos ab eâ omitti incuratos, quàm ad eorum morbos tam periculosum curationis genus admoveri. Neque tamen, vel tacente Satyrâ, suis carent illi reprehensoribus. Frons, oculi, vultusque populorum instar habent Satyræ, & illius vices sine voce obeunt, non sine vocis pondere. In his veluti in speculis vitia sua perinde atque suas virtutes possunt inspicere. Ipsa etiam laudatorum turba vel adulatorum, quæ viris principibus solet plurima obtingere, ipsos, si advertant, satis admonet, & laudando idem præstat, quod Satyra vituperando. Quas enim virtutes in se laudari non viderint, has in se desiderari sciant; si quidem non laudari ex omni parte virum Principem, ex aliquâ parte vituperari est. Quemadmodum si parva magnis conferre licet, existunt homines ejusmodi, quorum vita & institutum ita maledicentiæ objecta sunt, ut quæ vitia sibi ex-

probrari non audierint, his se carere merito gloriari queant.

QUOD si erunt aliquando summi rerum Domini, qui neque disertis populorum suspiriis, neque tacitis adulantium objurgationibus admoneri se intelligant; atque hoc peccent audacius, quod se adversus Satyricorum stylium satis muniri gladio existiment; cogitent illi pertimescendum sibi esse aliud Satyræ genus, nullâ arte, vi nullâ eluctabile, Historiam scilicet, quæ ipsorum nisi magistra fuerit viventium (ut esse potest & debet) fiet deinde accusatrix mortuorum. Quæ, ubi è folio & vitâ excefferint, illorum vitia non jam velata splendore purpuræ, non armata imperii majestate, non defensa satellitum multitudinem, sed nuda, aperta, manifesta in medium proferet, non eorum parcat cineribus, sed oculo scrutabitur impune curioso; & quæcunque flagitia videbantur altâ nocte obruta, & quasi cum istis terrarum dominis contumulata, in lucem eruet aliquando, ad immortalem ipsorum ignominiam, ad consolationem populorum seram, sed justam, ad regnantium documentum insignem, sed formidolosum, sicque pœnas quas de vivis sumere non ausa est, nec debuit Satyra, has de mortuis pro jure suo Historia repetet sempiternas.

FELIX ceteros inter Reges (a) Rex ille

E. 2

(a) Inuis Orator Ludovicum XIV. quæ Historiam regni sui Nic. Boileau scribendam tradiderat.

qui censor ipse sui cenfuram non timet; qui se contra stimulos Satyræ non armis protegit, sed virtutibus; qui se suaque facta non ex adulatorum grege cuipiam, sed Satyricorum principi describenda tradidit; qui fortunam utramque expertus, dictus est, iudice Satyrâ, in utraq; magnus, dicendus Historâ teste apud omnes ætates, pietate & Religione maximus.

FELICES & civitatis hujus Rectores, qui cum sint maximâ in luce collocati, & ipso splendore suo conspicui, illorum videntur esse purissimorum instar syderum, quæ sæpe in se convertunt oculos ad admirationem, nunquam ad reprehensionem: quorum cursus hoc magis laudabilis, quò magis æquabilis; quorum lux ed jucundior, quò temperatior; ed tolerabilior magnitudo, quò altior; à quibus tamen in hoc discrepant illi, quòd ed majores, apparent, quò excelsiores.

FELIX & ipsa tantis talibusque magistratibus Republica, quorum similes dum obtinebimus, nihil metuendum erit, ne Satyra dentes sacrilegos in illorum moribus imprimat. Sed & sicubi occurrent his prorsus absimiles, illos revereatur tamen, & quemadmodum apud Romanos sacrosancta habebantur Tribunorum plebis corpora, sic nostrorum persona moderatorum, etiamsi vita minus integra fuerit, sacra tamen & sancta esse censetur.

HÆC fermè sunt, AUDITORES, quæ Satyræ, antequam in civitatem subeat, præscribenda esse crediderim. Quæ singula si observaturam se castè religiosèque promiserit, tum liber ipsi aperiatur in urbem aditus, sedes etiam in arce summâ huic propria perpetuâque concedatur. Ingrediatur illa itaque suis comitatâ jocis, sed suis quoquè virtutibus stipata. Illam antecedit acribus oculis vigilantia, & pravorum civium mores diu noctûque insomnis speculetur. Adhæreat lateri sagax prudentia, & vitia ipsa secernens à vitiis, quæ, quoque modo notanda sint, assidue suggerat. Manum scribentis dirigat sancta Veritas & ad calumnias per fraudem deflecti nē sinat. Adsit Pudor velatâ facie, & velum ipsius obtendat oculis, ne flagitia observando, quædam videat non videnda, & legentibus subinde objiciat.

ACCEDAT & Urbanitas, quæ jocos amariore leniat aliquando, & Humanitas quæ à verorum appellatione nominum ad ficta detorqueat. Fremant interea circumquaque vitia, è suis educâta latebris, suis nudata larvis, coloribus suis insignita, sua turpitudine ridicula, suâ deformitate horrida, suâ pravitâ abominanda fugiant lucem, nec tamen inveniant tenebras ubi à speculis, aut quod ad pœnam satis est, ubi à speculo Satyræ tuta delitescant. Ipsa denique magistratus reverita, magistratuum auctoritate nixa, bel-

lum indicat improbis, præsidium offerat bonis, seque ad communem omnium utilitatem stylo armatam esse cogitet, ac totâ scribendi ratione profiteatur.

=====

## O R A T I O III. D E P A N E G Y R I C I S O R A T I O N I B U S.

Habita Anno M D C C X I V.

**E**A laudis natura vel conditio est, AUDITORES ORNATISSIMI, ut hæc æquifimis plerique admittamus animis, quæ nobis defertur; illam, quæ defertur aliis, aure minus pronâ excipiamus. Quotus enim quisque nostrum est, qui si dissimulationis involucra retegere velit, non aperte fateatur, quod ille Atheniensium dux laudatissimus palam de se confessus est, nullius se vocem libentius audire, quàm ejus à quo virtus sua optimè prædicaretur. Contra verò quid est, quo facilius ad satietatem expleantur aures nostræ, quàm alienis laudibus audiendis, quibus nos attentos sola vulgò facit vituperandi cupiditas? Cùm autem in omni laude citò fastidimus, tum in eâ citissime offenduntur multi, quæ non oblata fortuito, sed operosè quæsitâ Panegyricis Orationibus continetur. Non